



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 26. Bonum erat ei si natus non suisset homo ille. v. 24.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

§. 25. *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo. v. 24.*

Ego filius Hominis è Virgine matre natus, & à Spiritu sancto conceptus, veluti tenerimus vermiculus, vado moriturus, ut saluum faciam totum genus humanum, sicut scriptum est de me in libris Prophetarum, ex præfinito Dei consilio, discipulus tamen meus periculose prorsus facit me tradendo in manus inimicorum meorum, quia ad hoc potestatem à Deo non accepit. Si enim nefas magnum est mittere manus in sanctum vel unctum Domini, jure humano pariter ac divino, quanto majus in sanctum sanctorum & cum tradere ad mortem gravissimum crimen reputabitur?

**O** Iesu fili David seu Mariæ secundum carnem, tu nosti omnia ab æterno qui vidisti mea peccata tam magna, ac innumerabilia, usque modo neutiquam novi aut consideravi potestatem ac majestatem tuam, ideoque non veritus fui te offendere, & per peccata mea te ad mortem tradere, doleo ex toto corde, & precor, ut nunquam posthac è mente mea te excludam, sed diræ Passionis tuæ ac mortis memoria irigatus, hortus efficiar fructuum bonæ vitæ.

§. 26. *Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille. v. 24.*

Verè bonum ei erat non natum fuisse quam tantam contrahere culpam, & quod sequitur sentire in æternum illud horrendum væ in inferno, in quo nulla est redemptio, sed sine fine ardere, lugere, maledicere & inquietari. melius tamen erat, estque adhuc pro nobis Christum pati.

**A**h mi Deus ab hoc æterno væ & malo horribili libera me, propter nomen sanctum tuum, mortem & Passionem, sed magis adhuc libera me à peccatis & culpa quæ ad illud finale malum disponunt.

§. 27. *Respondens autem Iudas qui tradidit eum, nunquid ego sum Rabbi. v. 25.*

Nocentes facile primi sese excusare solent, justus autem sui accusator. Vide igitur anima mea quid Iudas ad verbum Christi qui *imngit mecum manum, in paropside hic me tradet*, offensus & quasi volens Magistrum arguere mendacij, aut parvi pendens traditionem illud it adhuc illi & ejus argumenta momentia ad pœnitentiam contemnens aitq; illulorie: *nunquid ego sum Domine, ô Magister! ô impudentiam!*

**Q**uæso Domine ne unquam eo deveniam, ut me corrigentes irrideam, sed correctionem eorum lubens semper audiam, & prompte suscipiam, meque tui solius amore emendem, ne ira tua super me effundatur, cedam maioribus, submittam me illis ut à te sapientiam, quæ ex ore altissimi prodit, edoccar & suscipiam.

§. 28.